

dices, Causidicos, testes minis affecerint vel offenderint, eorumque beneficia collationi S. Sedis reservavit. Item ex Constitut. Pauli IV INTER CAETERAS, si quis alteri beneficium in Romana Curia fraudulenter procuravit sese examini simulato nomine subjiciens, aut beneficium sibi comparat eo animo illud alteri sive gratis, sive imposito onere resignandi, aut denique pensiones offert beneficii obtinendi gratia, tum eorumdem beneficiorum irrita et nulla collatio est, tum ea sic vacantia Summo Pontifici reservantur. Similiter, ex Constitut. Gregorii XIII HUMANO VIX JUDICIO, reservata sunt beneficia vacantia ob praetermissam publicationem resignationis, quam idem Pontifex faciendam edixit. Et demum ex Constitut. Sixti V CUM SACROSANCTAM, et Benedicti XIII CATHOLICAE ECCLESIAE reservantur beneficia eo nomine vacantia, quod Beneficiatus habitum et tonsuram Clericalem non gestaverit.

Sed jam *Regulas Cancellariae* transeamus. Hujusmodi Regulae praestituunt ordinem gerendarum rerum in Cancellaria Apostolica, et reservationes beneficiorum in primis complectuntur. Joannes XXII primus ipsarum auctor vulgo dicitur, sed ejus aetate paucae admodum reservationes exstiterunt, quae dein a Successoribus Pontificibus supra memoratis plurimum auctae, et demum in easdem Regulas congestae sunt. Refert igitur exploratas habere easdem Regulas, quibus reservationes Beneficiorum per varias Constitutiones sparsae cum variis additionibus continentur.

Itaque I^a Regula confirmat reservationem beneficiorum omnium, quae Joannes XXII et Benedictus XII in Extravagantibus EXECRABILIS, et AD REGIMEN suae collationi addixerant; reservationem autem beneficiorum, quae Officiales Sedis Apostolicae obtinuerint, sic extendit, ut eadem beneficia reservata habeantur, etiamsi ante obitum officiales esse desierint. Item reservat beneficia, in quibus conferendis Ordinarii Collatores regulas Tridentinae Synodi non servaverint, veluti si beneficia contulerint non habentibus aetatem a Concilio praestitutam,

aut Paroecias sine praevio concursu. II^a Regula reservat omnes Ecclesias Cathedrales, nec non Monasteria omnia virorum consistorialia, quorum annui redditus ducentos florenos aureos superant, et omnia beneficia quae post obitum Episcopi aut alterius Praelati seu Collatoris vacaverint, nisi collatio ad alios quoque pertineat, aut ad alterius praesentationem sive electionem faciendam sit. III^a Regula reservat beneficia quae in fraudem reservationis ab iis resignantur aut dimittuntur, qui ab Apostolica Sede aliud beneficium incompatible mox habituri sunt: haec regula reservationem Extravag. EXECRABILIS spectat, in qua beneficia vacantia ob adeptionem alterius incompatible Apostolica auctoritate collati eidem Apostolicae Sedi reservantur: haec itaque Extravagans facile eluderetur si beneficia per concessionem alterius beneficii incompatible ad collationem Pontificis jam vacatura resignare et dimittere liceret, ne per vacationem collationi ejusdem Pontificis reipsa addicerentur. Praeterea reservantur ipsa incompatible, quae Apostolica auctoritate collata sint. IV^a Regula reservat majores Dignitates post Pontificalem in Ecclesiis Cathedralibus, nec non praecipuas Dignitates in Ecclesiis Collegiatis, quarum redditus decem florenos aureos communi existimatione excesserint. Quae igitur in Collegiatis Dignitates eum redditum non superant, a reservatione immunes habendae sunt: contra vero in Dignitatibus Cathedralium nulla reddituum exiguitas reservationem excludit. Quanquam autem Dignitates omnes majores in Cathedralibus, et praecipue in Collegiatis hac regula reservari dicantur, tamen pluralis hujusmodi locutio Ecclesias ipsas, non Beneficia spectat, et eum sensum plane habet, ut unicam eamque primam singulis Ecclesiis Dignitatem, non plures Dignitates in una eademque Ecclesia reservet. Porro si major, vel praecipua Dignitas expers reservationis esset, si ex. gr. patronatui laico obnoxia, tum reservatio a majori vel praecipua Dignitate ad secundam liberae collationis transfertur, quod tradunt Doctores apud Rigantium in Regula IV^a n. 46. Demum

eadem regula reservantur etiam Prioratus, Praepositurae aliaeque Dignitates Conventuales, quae in commendam aut in titulum perpetuum dantur, et Praeceptoriae Generales Ordinum non Militarium, et demum Beneficia, quae Cardinales, et Familiare continui commensales tum Pontificis, dum is Cardinalatus honor fungebatur, tum ipsorum Cardinalium obtulerint. V^a Regula reservat beneficia quae Collectores, et Subcollectores fructuum Camerae Apostolicae durante tantum eorum officio consequuti sunt. VI^a Regula reservat beneficia Curialium in itinere decedentium, dum Curia transfertur. VII^a Regula reservat beneficia Cubiculariorum etiam honoris, atque Cursorum Summi Pontificis. VIII^a Regula reservat quoscumque Canonicatus, Praebendas, Dignitates, personatus et officia S. Joannis Laterani, S. Petri, et S. Mariae Majoris de Urbe, et Canonicatus, Praebendas, caeteraque beneficia, quae absentibus Cardinalibus in eorum titulis vacant. Quod autem attinet ad beneficia inferiora trium Basilicarum Urbis, privilegiis S. Pontificum factum est, ut eorum collatio ad Cardinales Archipresbyteros earundem Basilicarum, atque ad Capitula divisim vicibus pertineret. Regula IX^a reservat omnia beneficia cum cura et sine cura, quae octo mensibus, scilicet Januario, Febuario, Aprili, Maio, Julio, Augusto, Octobri et Novembri ubique locorum vacaverint. Sed in gratiam et remunerationem eorum Episcoporum qui in suis Ecclesiis assidui essent, eo quidem tempore quo resident, eisdem conceditur, ut alternis mensibus cum Pontifice beneficia conferant, nisi ejus generis sint, quae ex aliis capitibus ad Pontificis collationem spectent. Alterni menses sic distribuuntur, ut primus mensis anni sit Pontificis, secundus Ordinarii Collatoris, tertius Pontificis, quartus Ordinarii, et ita porro. Hanc autem gratiam alternativae collationis postulare Episcopi debent, eisque solis, non aliis Collatoribus conceditur, et viget quoad Pontifex vixerit, aut Episcopus in ea Sede permanserit; est enim veluti contractus intuitu peculiaris Ecclesiae inter Pontificem et Epi-

scopum initus, unde fit, ut cujusque novi Pontificis confirmatione indigeat, et gratia ad Successorem Episcopum non transeat. Veram autem et personalem residentiam esse oportet; quamobrem Episcopi a propria Dioecesi absentes ob gerenda negotia Ecclesiae suae, vel ipsius Apostolicae Sedis legationem obeuntes, vel inviti etiam, externaque vi detenti, aut in altera unitarum Dioecesium residentes beneficia interim vacantia non conferunt: quanquam enim in aliis rebus fictione juris veluti praesentes haberentur, ad rem tamen nostram fictio juris non prodest. Quin imo si initio mensis Episcopus absit, jus conferendi toto ipso mense amittit, quamvis praesens ipso vocationis die exstiterit: quia « dictus mensis, ut ait Conradus Prax. benef. lib. 3 cap. 6, ob absentiam Episcopi in suo principio erat Apostolicus et reservatus, et ita debuit reputari usque ad illius finem, nam regula alternativa loquitur de mense integrali, non autem de singulis diebus. » Caeterum mensis incipit Romanorum more a media nocte diei, qui mensem superiorem terminat, et si ambiguum sit, utrum ante, an post mediam noctem Beneficiatus obierit collatio adjudicanda est Episcopo, cum reservationes odiosae videantur. Demum regula X^a reservat novo cuique Pontifici, quae Antecessor reservaverat, et ante ipsius obitum vacantia non contulit.

His expositis reservationibus monendum est: 1. Reservationes hujusmodi non ubique locorum vigere, quandoquidem in aliquibus Regnis et Provinciis confectae sunt cum Apostolica Sede pactiones de collationibus Beneficiorum: pactum vero praestat juri. 2. In locis etiam, ubi nulla pacta conventa sunt, eisdem reservationibus non contineri beneficia improprie dicta qualia sunt Altaria et Capellaniae absque Episcopi auctoritate fundatae, neque officia ecclesiastica quae non dantur in titulum, nec Vicariae temporales, neque etiam Vicariae perpetuae Ecclesiarum Parochialium Cathedralibus, Collegiatis, et Regularibus Ecclesiis, aliisque piis locis unitarum, quae ad liberam nominationem seu praesentationem

eorum quibus unitae sunt, cum Episcopi approbatione et sine concursu conferuntur, nec demum Beneficia Jurispatronatus non modo laicalis, verum etiam mixti, ne laici ex communiione cum ecclesiasticis jacturam suorum jurium patiantur. 3. Denique reservationes Regularum Cancellariae perpetuam vim non habere, sed eam omnem quam habent, decedente Pontifice, amittere, nec reviviscere, donec a novo Pontifice confirmantur. In quo reservationes Regularum Cancellariae a caeteris reservationibus differunt, quae aut corpore Juris, aut Extravagantibus, aut Bullis Pontificum continentur, quatenus his posterioribus tanquam per leges stabiles inductis perpetua obligandi vis inest. Non tamen putandum est, omnes et singulas reservationes Regularum Cancellariae, vacua Sede Apostolica, penitus interire. Nonnullis enim reservationibus perpetuam vim tribuunt Constitutiones Pontificum, ex quibus in eas regulas derivatae sunt: ex. gr. Regulae reservantes beneficia ob vacantiam in Curia, ob adeptionem incompatibilis, ob sententiam privationis, aliaque plures a Constitutionibus Pontificum perpetuitatem consequuntur. Praeterea ex receptis moribus, et communi sententia Doctorum apud Rigantium in prooemio Reg. Canc. n. 75, reservationes, aut personales seu intuitu personarum, ex. gr. Cardinalium, familiarium Pontificis, aut reales seu intuitu beneficiorum, ex. gr. Cathedralium, primarum Dignitatum, semel constitutae, perpetuo personis ipsis et beneficiis adhaerent, ut inferiores Antistites ab eis conferendis abstinere omnino debeant. Quamobrem ut aliqua sit regula, qua rem omnem judicemus, videndum est, quemadmodum beneficia reservantur. Sunt autem quinque reservationum genera. Namque beneficia reservantur vel *ratione qualitatis* ipsorum beneficiorum, qualis est reservatio Episcopatum, primarum Dignitatum, et Beneficiorum majorum; vel *ratione Personarum* eadem beneficia obtinentium, uti beneficia Cardinalium, Curialium et Sedis Apostolicae Officialium: vel *ratione modi* quo vacant, veluti

Beneficia vacantia ob privationem, depositionem, collationem alterius incompatibilis; vel *ratione loci* ubi vacant, cujusmodi est reservatio vacantium apud Sedem, aut in Curia: vel denique *ratione temporis* quo vacant, unde orta distinctio est inter menses Papales et ordinarios. Jam vero reservationes reales et personales quae nimirum aut ratione qualitatis, aut ratione Personarum semel Beneficiis inditae sunt, semper durant, quod supra diximus. Reservationes etiam inductae ratione modi, quo Beneficia vacant perpetuae sunt, ideo quod non solum Cancellariae Regularis, sed etiam Extravaganti Ex debito, aliisque Constitutionibus Pontificum nitantur. Quod autem attinet ad reservationem Beneficiorum ratione loci quo vacant, uti in Curia vacantium, solae Parochiales Ecclesiae in Curia vacantes post obitum Pontificis, aut eo vivo vacantes et non collatae, ab illa reservatione eximuntur, quia Bonifacius VIII cap. 35 de Praeb. in 6°, earum sic vacantium collationem Ordinariis non ademit, sed plane aperteque reliquit. Denique reservationes omnes, quae prodeunt ab incerto eventu mensis quo beneficia vacant, viduata Apostolica Sede prorsus exspirant, quod nulla lege seu Constitutione firmentur.

§ 91.

DE AFFECTIONE ET DEVOLUTIONE.

Reliquae sunt duae rationes, propter quas Beneficiorum collatio ad Pontificem spectat, videlicet ob *affectiorem et devolutionem*. Propter manus Papae (ut aiunt) oppositionem beneficium evadit affectum. Differt tamen affectio a reservatione, quod reservatio fit verbis, cum scilicet Pontifex per expressa verba, seu per regulas et Constitutiones beneficium sibi reservat: affectio autem inducitur facto ubi Pontifex in aliquod speciale beneficium se interponit, ex. gr. si electoribus mandet, ut se ab electione contineant, aut si beneficium in commen-

dam tribuat. Praeterea reservatio habet effectum successivum, ita ut beneficium reservatum ab inferiore Collatore concedi amplius nequeat : affectio autem pro una tantum et prima vice Beneficium Pontifici addicit, quomobrem collatione affectum sortita omnis affectio penitus evanescit. Sed non quaelibet oppositio manus afficit beneficium, sed ea tantum, quae animo ejus conferendi admovetur : « actus enim agentium non operantur ultra intentionem eorum, » ut habemus L. NON OMNIS ff. Si cert. petatur. Hinc si Pontifex reservet pensionem resignanti beneficium, non idcirco beneficium afficitur, nec vetatur Ordinarius Collator beneficium ipsum conferre dum vacaverit. Praeterea cum nihil voluntati magis adversetur quam error, ut errantis nullus sit consensus, illud quoque consequitur, quod affectionem non pariat collatio ad quam Pontifex ductus est falsa insinuatione seu causa, veluti si relatum est, aut beneficium esse reservatum quod erat liberum, aut omnino liberum esse quod erat Jurispatronatus Laicorum. Caeterum affectio Beneficii, veluti quaedam specialis reservatio, est potior reservatione generali, et idcirco generali indulto conferendi beneficia reservata non censentur affecta contineri, neque sublata reservatione generali affectiones etiam perimuntur.

Denique Pontifex beneficia confert jure devolutionis, cum nempe inferior Collator aut non contulit, aut male contulit, jus conferendi ob eam negligentiam, aut culpam pro ea vice ad Pontificem transit. Devolutio quae ob negligentiam fit, primum ab Alexandro III inducta est cap. 2 de concess. Praeb., ubi decrevit, ut si Collatores Ordinarii infra sex menses Dignitates et Beneficia inferiora conferre neglexissent, collatio ad Superiorem devolveretur ; et Innocentius III cap. 41 de Elect. et Elect. potest., spatium trium mensium praefinivit, quod attinet ad electiva beneficia, videlicet ad Cathedralis et Regulares Ecclesias ; minus quippe temporis collatoribus sive electoribus Ecclesiarum majorum tributum est, quod earum

diutina vacatio magis exitiosa esse solet. Spatium autem sex mensium pro minoribus beneficiis, et trium mensium pro majoribus currit a die non vacationis, sed habitae notitiae vacationis, atque etiam omne justum impedimentum abesse debet, ut proinde si quid collationi vel electioni obstiterit, cursus ejusmodi temporis suspenditur, quod Innocentius III eodem cap. significavit. Facta vero devolutione per lapsum temporis praefiniti mora purgari non potest, quod statim potestas conferendi in Superiorem transit, adeoque collatio inferioris Collatoris nulla et invalida haberetur, nisi superior, ad quem auctoritas providendi devoluta est, collationem postea factam patienter sustinere velit, cap. 4 de suppl. neglig. Praelat.

Devolutio ob culpam fit, cum inferior Collator aut indigno beneficium largitus est, aut in facienda collatione formam a Sacris Canonibus traditam non servavit. At vero beneficia sive ob negligentiam, sive ob culpam inferioris Collatoris ad R. Pontificem devolvuntur, et quidem immediate, si negligentia aut culpa contigerit in Cathedralibus Ecclesiis, aliisque Beneficiis majoribus quorum institutio ad ipsum Pontificem pertinet, aut si exemptus negligentiam aut culpam contraxerit : reliqua beneficia gradatim, id est per quosdam veluti gradus intermedios ab inferiori Praelato ad Superiorem, et ita porro ad Summum Pontificem devolvuntur, quos gradus distincte explicant Interpretes ad titulum de suppl. neglig. Praelat.

§ 92.

DE COLLATIONE BENEFICIORUM JURE ORDINARIO.

Post Romanum Pontificem nobiliorem locum inter Collatores obtinent Episcopi, et locorum Ordinarii, qui ordinario et nativo jure beneficia conferunt, quandoquidem ut post alios Canonistas tradit Cardinalis De Luca in Summa Benefic. tom. I sess. 2 num. 6 : « juris communis dispositione, primaevoque

Ecclesiae usu attentis, omnia beneficia quodcumque, et quodcumque vacantia ad Episcopi seu Ordinarii loci collationem spectant. » Cum itaque Episcopi et locorum Ordinarii fundatam in jure communi intentionem seu potestatem habeant, omnia et singula Beneficia in eorum Dioecesi seu territorio vacantia conferendi, illud consequitur : 1. Quod Episcopi et Ordinarii ea potestate, quae pars est spiritualis potestatis qua Ecclesias administrant et regunt, in collatione omnium beneficiorum recte utantur, exceptis beneficiis, quae collationi suae Apostolica Sedes addixerit. 2. Quod si quis collationem alicujus beneficii in eisdem Dioecesibus positi sive erecti suam esse contenderit, sive privilegio, sive consuetudine, is quidem debeat privilegium ipsum, vel consuetudinem rite praescriptam plenis probationibus, apertisque documentis ostendere, atque in dubiis causa adjudicanda est Episcopis et Ordinariis, quibus praesumptio juris omnino favet.

Jure antiquo institutiones et destitutiones personarum ecclesiasticarum, atque adeo collationes beneficiorum ab Episcopis absoluebantur una cum Capitulo, cap. 4 et cap. 8 de iis quae fiunt a Prael. Capitulum enim Cathedralis Ecclesiae unum veluti corpus cum Episcopo constituit, cujus Episcopus ipse est caput. Sed quanquam aliqua hujus disciplinae vestigia adhuc exstant, ubi Episcopus consilio vel consensu Capituli, aut Capitulum consilio et consensu Episcopi beneficia tribuunt, in multis tamen locis haec conferendi ratio dissociata est, et alibi solus Episcopus, alibi solum Canonicorum Collegium, alibi Episcopus simul et Canonici conferunt, ita quidem ut unum sit Episcopo cum singulis Canonicis aequale suffragium, aut duplex, aut etiam Episcopi suffragium totius Capituli suffragiis aequale sit, quod ex statutis cujusque loci, vel recepta consuetudine maxime pendet. Jam vero quum Episcopus una cum Capitulo praebendas, seu beneficia confert, tunc Sede Episcopali vacante servanda est Constitutio Bonifacii VIII in cap. un. Ne Sede vacant. aliq. innovet. in 6° ut

nempe Capitulum recte conferat eadem Beneficia, quorum collatio ad ipsum Capitulum et Episcopum conjunctim pertinebat, idque ob jus accrescendi seu non decrescendi, quod quidem jus per II^m Regulam Cancellariae integrum servatum est. Multo magis Capitulum recte confert Beneficia, quorum collatio vel vivente Episcopo ad Capitulum ipsum privative spectabat, sicut etiam vacante Sede praesentatos a patronis instituit. At vero Capitulum non confert Beneficia, quae ad liberam collationem Episcopi spectant, ejusque solius nomine conferuntur, quanquam in collatione facienda consilium vel consensus Capituli exquirendus esset; neque beneficia quae praevio concursu ab Episcopo conceduntur, videlicet Poenitentiarum Dignitatem seu officium, Praebendam Theologalem, et Parochiales Ecclesias : quae omnia beneficia, vacante Sede Episcopali, [Summo Pontifici reservantur. Hinc fit ut Vicarius Capitularis, in quem Capitulum nequit plus juris tribuere, quam ipsum habeat, ordinariam Episcopi potestatem, quod Beneficiorum collationem spectat, non consequatur.

Ordinariis Collatoribus nonnulli Canonistae adjungunt Apostolicae Sedis Legatos a latere dictos, quum eorum officio et eminenti dignitati attributa sit jure communi potestas omnia beneficia in Provincia Legationis vacantia distribuendi. Itaque Legati cum Ordinariis Collatoribus concurrunt, et inter illos praeventioni locus est, ut ea vincat collatio, quae prior tempore exstiterit : quin etiam beneficia quae durante legationis munere vacarint, sibi possunt non quidem generaliter, sed specialiter reservare, dummodo jus ad beneficium ante vacationem concedant nemini, neque eundem Collatorem bina reservatione gravent, nec denique una pendente reservatione, hoc est beneficio nondum collato, aliud beneficium in eadem Ecclesia reservent. Sed hujusmodi Legatorum jura penitus antiquata sunt.

§ 93.

DE COLLATIONE BENEFICIORUM JURE DELEGATO.

In primis Cardinales multa potestate conferendi beneficia adacti sunt jure tamen delegato. Nemo sane dubitat, quin Cardinales, si Episcopatus, vel Abbatias, sive Prioratus cum jurisdictione quasi Episcopali in titulum obtinuerint, in suis Dioecesibus vel Territoriis beneficia conferant jure ordinario, quemadmodum cuilibet alteri Ordinario jus esset. At Cardinales, intuitu eminentis eorum potestatis jamdudum consueverunt ampliorem potestatem consequi ex delegatione, seu ex specialibus Indultis; quorum quidem duo genera sunt, alia nempe communia, alia extraordinaria. Prioris generis est Indultum, vi cujus Cardinalibus datur facultas conferendi « quaecumque beneficia sibi subjecta extra Curiam vacantia, quamvis reservata ratione mensis, vel quod illa obtinentes fuissent Familiars ficti praedecessorum Pontificum, aut Sedis Apostolicae Notarii, Subdiaconi, Archipresbyteri, Capellani, Litterarum Apostolicarum Scriptores, Abbreviatores, Cubicularii, Nuntii Apostolici, et Subcollectores, et alii Officiales praesentes et futuri quocumque nomine nuncupentur: quatenus beneficia hujusmodi ratione mensium Apostolicorum, seu ex quavis alia causa dispositioni Apostolicae reservata, seu ex generali reservatione Apostolica affecta conferre, et de illis providere libere possint. »

Ex verbis Indulti, quae diligenter custodienda sunt, satis liquet certa esse beneficiorum genera, quorum collatio vi ipsius Indulti Cardinalibus non permittitur. Sunt autem : 1. Quae apud Sedem seu in Curia Romana vacaverint. 2. Quae obtinuerint Familiars veri Pontificum, continui nempe Commensales, Conclavistae, nec non Cardinales, eorumque familiares, et caeteri Sedis Apostolicae Officiales in ipso Indulto non ex-

pressi. 3. Quae duplici reservatione, personali et coequali, reservata vel affecta fuerint, uti edixit Urbanus VIII in sua Constitut. 288 diei 15 Julii 1642. 4. Demum beneficia Consistorialia, seu in libris Camarae taxata et exempta, primae Dignitates in Cathedralibus, et principales in Collegiatis, et caetera beneficia, quae per resignationem in favorem certae personae, aut per neglectam resignationis publicationem, aut per promotionem ad Episcopatum, seu per aliam quamcumque causam vacaverint, cujus ipsum Indultum expresse non meminerit. Ejusdem Indulti formulam integram exhibet, illustratque Commentario Anastasius Germonius de Indultis Cardinalium. Confer etiam Gagliardum in Tractatu de Benef. cap. 7, ubi multa ad rem animadvertit.

Solent quoque Cardinales Ecclesias Episcopales dimittentes, ex nova et speciali gratia consequi Indultum conferendi, ut prius, earumdem Ecclesiarum beneficia in octo mensibus Apostolicis vacatura, quatuor aliis mensibus Successori Episcopo relictis: quod tamen ex Constitut. Urbani VIII incipient. Licet locum duntaxat habet respectu Ecclesiarum, quarum regimini ultimo loco cesserunt. Denique Cardinales potiuntur communi Indulto, seu privilegio conferendi in suis Titulis beneficia. « Licet enim, ut ait Lotterius de Re Beneficiaria lib. 2 quaest. 2, Cardinales in suis Titulis habeant jurisdictionem Episcopalem, nihilominus jus providendi, quod in eis habent, consequuti sunt ex speciali concessionem Papae, cui alias jus illud tanquam Urbis Episcopo originaliter competit, unde si abscedant a Curia, praerogativam hanc amittunt, super quo hodie habemus Regulam VII^m Cancellariae. »

Reliqua Cardinalium Indulta, quae his communibus ampliora sunt, extraordinaria dicuntur, quippe quae non omnibus, sed aliquibus tantum Cardinalibus valde benevolis a Pontifice conceduntur, ex. gr. conferendi beneficia vacantia per obitum familiarium S. Pontificum, et Cardinalium, Officium Curiae et Sedis Apostolicae, Cardinalium, Episcoporum,